

locum Jonathas filius Saul veru direxit, militari-
bus jaculis se exercens. Pro quo Aquila et Sym-
machus in alio loco pro hoc *ἄρμα*, id est ambi-
tum dixerit.

Porro veru S. Hieronymus vocat telum vel jacu-
lum, ad veru similitudinem factum, æque ac
Virgilius, lib. VII *Æneid.*, dicens :

Et tereti pugnans mucrone veruque Sabello.

PROXUS IN TERRAM ADORAVIT TERTIO, — id est ter-

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David fugit ad Achimelech pontificem in Nobe, ab eoque petit et accipit panes propositionis et gladium Goliath. Inde, vers. 10, videns in Julina, utpote Sauli subjecta, se latere non posse, fugit ad Achis regem Geth, apud quem proditus et accusatus, simulat se stultum, itaque liber evadit.

1. Venit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem; et obstupuit Achimelech, eo quod venisset David. Et dixit ei: Quare tu solus, et nullus est tecum? 2. Et ait David ad Achimelech sacerdotem: Rex præcepit mihi sermonem, et dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es a me, et cujusmodi præcepta tibi dederim; nam et pueris condixi in illum et illum locum. 3. Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris. 4. Et respondens sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum, si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus? 5. Et respondit David sacerdoti, et dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri et nudius tertius, quando egrediebamur, et fuerunt vasa puerorum sancta. Porro via hæc polluta est, sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis. 6. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem. Neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi. 7. Erat autem ibi vir quidam de servis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini; et nomen ejus Doeg Idumæus, potentissimus pasterum Saul. 8. Dixit autem David ad Achimelech: Si habes hic ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum, et arma mea non tuli mecum; sermo enim regis urgebat. 9. Et dixit sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philistæi, quem percussisti in valle Terebinthi, est involutus pallio post Ephod; si istum vis tollere, tolle. Neque enim hic est alius absque eo. Et ait David: Non est huic alter similis, da mihi eum. 10. Surrexit itaque David, et fugit in die illa a facie Saul; et venit ad Achis regem Geth. 11. dixeruntque servi Achis ad eum, cum viderent David: Numquid non iste est David rex terræ? nonne huic cantabant per choros, dicentes: Percussit Saul mille, et David decem millia? 12. Posuit autem David sermones istos in corde suo, et extimuit valde a facie Achis regis Geth. 13. Et immutavit os suum coram eis, et collabebatur inter manus eorum, et impingebat in ostia porte, desiliebantque salivæ ejus in barbam. 14. Et ait Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me? 15. An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, ut fureret me presente? hincne ingredietur domum meam?

1. VENIT AUTEM DAVID IN NOBE AD ACHIMELECH SACERDOTEM — summum, sive Pontificem. Erat enim Achimelech filius Achis, filii Achitob, filii Phinees, filii Heli Pontificis. S. Marcus, II, 26, ait Davidem venisse ad Abiathar, sive quia Abiathar filius Achimelechi, patre absente vel ægrotante,

tio se in terram prostravit, itaque reverentiam Jonathæ exhibuit.

42. QUÆCUMQUE JURAVIMUS, IN NOMINE DOMINI, — vers. 11. scilicet rata firmaque sint; vel eorum vimis semper memores. Est ellipsis, et reticentia mire congruens dolentibus: hi enim ex dolore multa subfocant; dolor enim eis os fœcesque occludit, ut verba frangant, et sententiam dimidient vel incidant. Tale est illud Christi desilentis excidium Jerusalem: « Si cognovissetis et tu, » *Luce* cap. XIX, vers. 42.

vices ejus obibat; sive quia nomen utrumque tam filio quam patri erat commune, uti ibidem ostendi. David initio persecutionis Saulis fugiens, secundo et tertio ad eum rediit, sperans eum sibi reconciliare. At ubi a Jonathâ cognovit implacabile ejus contra se odium, fugit, nec amplius ad Saulem rediit.

IN NOBE. — Civitas hæc cessit sacerdotibus occasione, ut videtur, tabernaculi federis eo translati. Nam Josue, cap. XXI, inter urbes sacerdotales non recensetur « Nobe. » Post Josue ergo data fuit sacerdotibus, cum tabernaculum in illam fuit delatum. Tabernaculo enim deservire debebant sacerdotes. Porro duæ erant urbes dictæ « Nobe, » una in confinio tribus Juda et Benjamin eis Jordanem, altera trans Jordanem in dimidia tribu Manasse, *Numer.* XXXII, 42, et *Judic.* cap. VIII, 41. Multi priorem « Nobe » hic accipiunt: Serarius vero posteriorem, eo quod prior illa vicina esset Gabaa Saulis, David vero hic, vers. 4, dicat se illuc egressum non eodem die, sed ab heri et nudius tertius: ergo intelligit « Nobe » trans Jordanem sitam: hæc enim longius distabat a Gabaa ubi habitabant Saul et David.

Nota: Tabernaculum federis continens arcam, quod Moses fabricavit, fuit in Silo, ibique mansit usque dum caperetur arca a Philistæis, a quibus post septem menses remissa, collocata fuit arca in Bethsharim; inde a Davide in Sion: inde a Salomone in templum ab eo erectum. Tabernaculum in Nobe; quæ a Saule subversa, ut audiamus capsequenti, translatum fuit in Gabaa: inde a Salomone translatum in templum, III *Reg.* VIII.

Porro Sacerdotes et Pontifices sacrificia offerebant eo loci, ubi erat tabernaculum; quia in eo erat allare holocaustorum, in quo offerende erant victimæ, I *Paralip.* XXI, 29; subinde tamen Samuel alique ob graves causas dispensante Deo aliis in locis sacrificarunt, donec Deus elegit sibi stabilem locum in templo Salomonis.

Dices: David dicitur tetendisse arce tabernaculum in Sion, II *Reg.* cap. VI, 17. Respondeo, hoc tabernaculum non fuisse illud prisicum a Mose fabricatum, sed novum a Davide in Sion ad honorem arce erectum.

ET OBSTUPUIT ACHIMELECH, EO QUOD VENISSET DAVID, — quia videbat eum solum et inermem, velul vagum et profugum, ac causam, scilicet iram Saulis ignorabat.

QUARE TU SOLUS, ET NULLUS EST TECUM? — solus enim David fuerat cum Jonathâ, ab eoque cognito decreto Saulis de se occidendo, illico solus famelicus et inermis profugerat ad Achimelech, quasi Pontificem. Aliter respondent Lyranus, Dionysius et Athanasius, homil. *De Semente*, scilicet Davidem dici solum venisse, quia non veniebat comitatus solita frequentia famulorum et militum, sed paucis dumtaxat stipatus.

2. REX PRÆCEPIT MIHI SERMONEM. — Mentitur David officiose ad latendam vitam suam: ne scilicet si diceret se fugere Saulem sibi infensum, Achimelech metuens iram Saulis, non auderet panes sibi dare; rursum ne ipsi Achimelech crearet periculum vite apud Saulem. Erat enim ibi Doeg, Sauli addictus, qui nihilominus Achimelech apud Saulem accusavit, ideoque causa fuit cur ab eo tot sacerdotes occiderentur, ut audiamus capite sequenti.

ET PUERIS (FAMILIIS) CONDIXI IN ILLUM ET ILLUM LOCUM. — Hinc videtur quod David solus lecta facie, ne agnosceretur a Doeg, ingressus sit ad Achimelech, famulos vero suos jam ante cum a Jonathâ discederet, vel per se adiens, vel per Jonatham, ait Abulensis, evocans jussit se in loco condicto juxta Nobe expectare: quare ab Achimelech accepisse panes, eosque ad famulos et socios in locum conditum expectantes delulisse: omnes enim laborabant ex hidu itinere, inedia et fame: quare omnes ex panibus sanctificatis famem expleverunt, ut ait Christus *Matth.* XII, 3, quia aliunde panes communes enim non Saulis habere non poterat. Necessitas enim non habet legem. Ita S. Hieronymus, Hilarius, S. Thomas, Maldonatus in *Matth.* XII, S. Ambrosius et Toletus in *Luce* cap. VI, Lyranus, Dionysius, Abulensis et alii hic. Allegorice Augustinus: « David, ait, ad Achimelech solus venit; et Christus in passionem suam solus relictus est. Quod autem ait David, illo et illo in loco condixi pueris meis, hoc indicabat quod Dominus Apostolos suos ante passionem suam informans ait: Postquam resurrexero, præcedam vos in Galileam. David ab Achimelech quinque panes quesivit, sed unum accepit: quia in quinque libris Mosæ legis unitas retinetur. »

4. SI MUNDI SUNT PUERI, MAXIME A MULIERIBUS, — quanto magis in lege nova maritos ab usu uxorum abstinere decet eo die, quo panem non propositionis, sed divinum, puta Eucharistiam summere volunt? ita Theologi.

3. ET FUERUNT VASA PUERORUM SANCTA. — « Vasa, » id est corpora, fuerunt munda a mulieribus et impolluta. Sic Apostolus, I *Thessal.* IV, 4, jubet ut quisque « vas, » id est corpus, « snum possideat in honore et sanctitate, » id est puritate. Ita Abulensis. Aliter Valabius, qui per « vasa » accipit vestes, q. d. Vestes habemus puras et mundas, quibus sanctum propositionis panem accipiamus.

PORRO VIA HÆC POLLUTA EST, SED ET IPSA HODIE SANCTIFICABITUR IN VASIS. — Hebraice *ἡ ὁδὸς* id est via, sæpe sumitur pro more, usu et consuetudine: hæc enim res teritur, perinde ac pedibus teritur via sæpius repetita. Est metaphora, q. d. « Via hæc, » id est mos hic laicis, immundus et pollutus est; quod scilicet laici vescantur panibus propositionis, quos non nisi sacerdotibus ex lege comedere licet: « sed sanctificabitur in vasis, » q. d. Panis hic sanctus non polletur,

Septuaginta legit, *affectabat et tympanizabat ad ostia civitatis*, hoc est, tam crebro et fortiter in ostia impingebat, ut tympanum pulsare videretur, aut tympana et alia ludiera in ostio pingebat.

Allegorice vero S. Augustinus, id ipsum de Christo crucifixo explicans: «Affectavit, inquit, id est, compassus et miseratus est nos et supremis; et quoniam qui crucifigitur, in ligno extenditur; ut autem tympanum fiat, caro, id est, corium in ligno extenditur; distans est: Et tympanizabat, id est, crucifigebatur, in ligno extendebatur. Affectabat, id est, affectum in nos habebat, ut animam suam poneret pro ovibus suis. Tympanizabat: Quomodo? ad ostium civitatis. Ostium nobis est, quod aperitur ut credamus in Deum. Claustrum diabolo, contra vitam eternam; claustrum cor habebamus, ille autem Dominus Deus noster, quia claustrum cor habebamus homines adversus vitam eternam, nec poteramus videre verbum quod vident Angeli, cruce aperiebat corda mortalium; hoc est, tympanizabat ad ostium civitatis.»

Hinc hebraice *ta'au*, verbi potest, *delineabat iteram tau*, id est formabat figuram crucis; hanc enim exhibet littera tau. Denique Septuaginta pro *ta'au*, videntur legisse, *ta'of*, id est *tympanizabat*; *תוף* *toph* enim est *tympanum*: ita alicui a sono *tympani* per onomatopoeiam.

DEFLUENTIBUS SALIVÆ EJUS IN BARBAM, — ut fit in epilepticiis, phreneticis, stupidis et stultis.

Allegorice id de Christo explicat S. Augustinus in titulo *Psal. xxxiii*, in fine: «Quid, inquit, sunt? Salivæ enim currunt infantibus. Nomen erant tanquam infantilia verba, manducate carnem meam et bibite sanguinem meum? sed ista infantilia verba tegebant virtutem ipsius. Virtus enim in barba intelligitur. Salivæ igitur decurrentes super barbam ejus, quid sunt, nisi verba infirma virtutem ejus tegent?» Sic quoque Beda, Eucherius, Angelomus et Rabanus, qui more suo S. Augustinum sequuntur.

Quæres, an David peccarit fingendo se stultum. Affirmant nonnulli: ratio est, quia ut docet S. Thomas, II II, *Quæst. CMI*, art. 1, ad 2, fictio est mendacium non verbi, sed facti; mendacium autem est peccatum. Unde S. Thomas ibidem ad 2, Davidem non aliter excusat, quam quod fictio hæc fuerit figuralis; fuit enim figura Christi, qui cum esset Deus alium se esse quasi simulavit, cum crucem nostram assumpsit, et in ea tot labores et dolores ipsiusque crucem subit.

Mitius veriusque Abulensis et alii consent Davidem non peccasse, tum quia videtur ad hoc motus a Deo: unde et paulo post recedens ab Achis, Dei iustitiam composuit elegantem psalmum *xxxiii*: «Benedicam Dominum in omni tempore;» tum quia David impingens in ostia, aliaque actiones deliras faciens, ipso facto non dicebat se esse stultum; sed se id duntaxat simulare ob instans periculum; hoc autem erat verum. Porro sic simulare non est mendacium, sed silentium duntaxat veritatis, sive dissimulatio qua quis aliam quasi personam, alios gestus morose induit justa de causa, ut legat veritatem ad evadendum periculum. Sic Samuel finxit se ire ad immolandum in Bethleem, cum iret ad unguendum Davidem in regem cap. *xvi*, 2. Sic Josue, cap. *viii*, 3, finxit se pavidum fugere cives *Istai*, ut eos ex urbe eliceret et mactaret. Sic Gedeon, *Judic. vii*, 20, cum trecentis, complensione hæonarum et effulguratione lampadarum, finxit se magnum habere militum numerum, ut Madianitas innumeros consterneret. Idem sensere et fecere Gentiles. Unde Horatius *lib. IV Carm. Odo 12*: «Misce, ait, stultitiam consiliis brevem. Dulce est desipere in loco.» Et Cato:

Inspiciens esto, cum tempus postulat aut res;
Stultitiam simulare loco prudentia summa est.

Et Ansonius, *lib. II Distichorum*. Sic Solon, unus et septem Græcorum sapientibus et Atheniensium legislator finxit se dilirum, ut Atheniensibus persuaderet recuperare Salaminam insulam. Capitale enim erat ea de re loqui. Ita Plutarchus in *Solone*. Denique S. Simeon cognomento *stultus*, id est, stultus; S. Franciscus (qui se nominabat factuellum mundi), multique alii Sancti simulaverunt se stultos, tum ad insignem humilitatem; tum ut docerent honoris mundique contemptum, ac mundi sapientiam meram esse stultitiam. Unde S. Paulus, *I Corinth. cap. iv*: «Nos, inquit, stulti propter Christum.» Et noster S. Ignatius: «Sis, ait, mundo demens, ut sapias Domino.» quia «quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.» *I Cor. 1, 43*. Vide ibi dicta.

15. AN DESUNT NOBIS FERIOSI? — quia sicut nunquam desunt egrotantes corpore, sic nec egrotante: presertim quia mentis ageritudo et delirium pendet ex aegritudine corporis et cerebri; quod si minium ledatur, minatur, vel distorquetur, creat epilepticiis, phrenosos, delicia, furor, etc. Fabulantur Rabbini *uxorem et filiam regis Achis laborasse delirio*.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David fugit in speluncam Odollam, inde, vers. 5, monente Gad propheta rediit in terram Juda. Audit id Saul suosque incitat ut eum prosequantur, sibi que prædant et tradant. Moa, vers. 9, Doeg accusat Achimelech Pontificem, quod Davidi dederit panes et gladium Goliath. Quare, vers. 18, eum cum 83 sociis Doeg jussu Saulis occidit.

1. Abiit ergo David inde, et fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres ejus, et omnis domus patris ejus, descenderunt ad eum illuc. 2. Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, et oppressi a re alieno, et amaro animo: et factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri. 3. Et profectus est David inde in Maspha, quæ est Moab; et dixit ad regem Moab: Maneat, oro, pater meus et mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus. 4. Et reliquit eos ante faciem regis Moab; manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus David fuit in presidio. 5. Dixitque Gad propheta ad David: Noli manere in presidio, proficiscere et vade in terram Juda. Et profectus est David, et venit in saltum Haret. 6. Et audivit Saul quod apparuisset David, et viri qui erant cum eo. Saul autem, cum maneret in Gabaa, et esset in memore quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique servi ejus circumstant eum, 7. ait ad servos suos qui assistebant ei: Audite nunc, filii Jemini, namquid omnibus vobis dabit filius Isai agros et vineas, et universos vos faciet tribunos, et centuriones? 8. quoniam conjurastis omnes adversum me, et non est qui mihi renuntiet, maxime cum et filius meus foedus inierit cum filio Isai. Non est qui vicem meam debeat ex vobis, nec qui annuntiet mihi; eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversum me, insidiantem mihi usque hodie. 9. Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, et erat primus inter servos Saul: Vidi, inquit, filium Isai in Nobe apud Achimelech filium Achitob sacerdotem. 10. Qui consuluit pro eo Dominum, et cibaria dedit ei; sed et gladium Goliath Philistæi dedit illi. 11. Misit ergo rex ad accersendum Achimelech sacerdotem filium Achitob, et omnem domum patris ejus, sacerdotem qui erant in Nobe, qui universi venerunt ad regem. 12. Et ait Saul ad Achimelech: Audi, fili Achitob. Qui respondit: Præsto sum, domine. 13. Dixitque ad eum Saul: Quare conjurastis adversum me, tu et filius Isai, et dedisti ei panes et gladium, et consulisti pro eo Deum, ut consurgeret adversum me, insidiator usque hodie permanens? 14. Respondensque Achimelech regi, ait: Et quis in omnibus servis tuis, sicut David fidelis, et gener regis, et pergens ad imperium tuum, et gloriosus in domo tua? 15. Num hodie capsi pro eo consulere Deum? absit hoc a me; ne suspicietur rex adversum servum suum rem hujusmodi, in universa domo patris mei; non enim scivit servus tuus quidquam super hoc negotio, vel modicum vel grande. 16. Dixitque rex: Morte morieris, Achimelech, tu et omnis domus patris tui. 17. Et ait rex emissariis qui circumstant eum: Convertimini et interficite sacerdotes Domini; nam manus eorum cum David est; scientes quod fugisset, et non indicaverunt mihi. Noluerunt autem servi regis extendere manus suas in sacerdotes Domini. 18. Et ait rex ad Doeg: Convertere tu, et irruere in sacerdotes. Conversusque Doeg Idumæus, irrui in sacerdotes, et trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo. 19. Nobe autem civitatem sacerdotum percussit in ore gladii, viros et mulieres et parvulos, et lactentes, bovemque et asinum, et ovem in ore gladii. 20. Evadens autem unus filius Achimelech, filii Achitob, cujus nomen erat Abiathar, fugit ad David. 21. Et annuntiavit ei quod occidisset

Saul sacerdotes Domini. 22. Et ait David ad Abiathar : Sciebam in die illa quod, cum ibi esset Doeg Idumæus, procul dubio annuntiaret Sauli : ego sum reus omnium animarum patris tui. 23. Mane mecum, ne timeas ; si quis quassierit animam meam, quaeret et animam tuam, mecumque servaberis.

Descrip-
tio spe-
lunæ
Odollam.

1. ABII ERGO DAVID INDE, ET FUGIT IN SPELUNCAM ODOLLAM. — « Odollam » erat vicius in tribu Iuda ad dexteram euntibus ex Jerusalem in Hebron. Audi ex S. Hieronymo, Guilielmo Tyrio et aliis Adrichomium in tribu Iuda, num. 201 : « Spelunca Odollam, in ipsa petra, fuit locus natura tutus, communitus, in quam cum David fugisset a facie Saul, ibique multos angustia et ære alieno oppressos ad se confugientes susceperet, factus est princeps quadringentorum virorum. Habuit eundem usum spelunca hæc tempore Christianiorum : nam Turco, cum ad ea loca populabundi devenissent, fugerant habitatores vicinorum locorum, et sese cum uxoriibus, liberis, armentis et gregibus huc contulerunt. »

Vnde apposite « Odollam, » vel ut Hebraice est *Adulain*, idem est quod congregatio, transitus vel præda eorum, ait Pagninus in *Nomin. Hebr.*

Symbolice Angelomus et Eucherius : Spelunca hæc, inquit, representat carnem Christi in qua quasi in spelunca abscondita delituit divinitas Christi ; aut sepulcrum Christi, quod testimonium (hoc enim Hebraice significat *Odollam*, ait Beda) fuit Christum esse Deum, cum ipse tertio die ex illo corpore suum redivivum et gloriosum suscitavit.

2. ET CONVENERUNT AD EUM OMNES QUI ERANT IN ANGSTIA CONSTITUTI, ET OPPRESSI ÆRE ALIENO. — Dices : Quomodo illos admisit David in præjudicium creditorum, ne eos cogere possent ad solvendum sibi debita? Respondet Cajetanus illos cessisse bonis, vel impotentibus fuisse ad solvendum : unde ipsa impotentia excusabantur a solvendo, usque dum ad pinguorem fortunam evaderent, quod futurum erat per societatem et prudentiam Davidis, qui hostium spoliis omnes suos ditavit, ut patet II Reg. cap. II et XV.

David ad
se confu-
gentes
optime
instru-
xit.

Quod enim David omnes ad se confugientes optime ad omnem justitiam et honestatem instruxerit, patet ex *Psal.* XXXIII, quem tum composuit. Hic enim psalmus ad litteram continet doctrinam quam David ibidem dedit suis sociis et militibus ; unde eos alloquens vers. 12, ait : « Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. » Item ex eo quod David secum habebat Gad prophetam et virom sanctum.

Allegorice, David fuit typus Christi, ad quem confugebant omnes ægri, afflicti, penitentes ; unde ipse eos advocans ait : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, *Matth.* cap. XI. Ita Angelomus.

3. ET PROPECTUS EST DAVID IN MASPHA, QUÆ EST MOAB, — id est que est urbs regionis Moabitis ad Moabitas, non ad Judæos pertinens. Fugit enim

David ex Judæa, utpote Sauli subdita, in terram Moab, in quam nil poterat Saul. Porro alia erat « Maspha » in Judæa, ubi Samuel conventum populi egit cap. VII, vers. 6.

MANEAT, ORO, PATER MEUS ET MATER MEA VOBISCUM. — Hinc collige Saulem non solum Davidem, sed et ejus parentes et cognatos persecutum fuisse, vel certe illos persecutionem Saulis metuentes extra Judæam in Moabidem profugisse.

4. QUIBUS DAVID FUIT IN PRESIDIO. — id est in arce vel loco munio terre Moab. Hunc enim significat Hebraice מַצְדָּוַת *metzuda*.

5. DIXITQUE GAD PROPHETA, etc. : VADI IN TERRA JUDA, — quia mansio Davidis in Juda multis fuit utilis, et plurimum Davidi attulit autoritatis, ut ad regnum illico a tribu Juda promoveretur, uti rorsus evenisse audiemus in sequenti. Ita Cajetanus.

ET VENIT IN SALTUM HARET, — qui locus desertus erat, invius et incultus, non nisi sentibus et vepribus perhorrescens. « Nihilominus, inquit Rabbi Salomon, divina virtute factus est idem locus abundans fructibus, et animalibus, et irriguus fontibus, ut Davidem et viros ejus non solum sustentaret, sed etiam mirifice recrearet. » Quo alludens David : « Dominus, inquit, regit me, » seu ut est in Hebræo, *pasit me*; in loco *pasavit* me collocavit : *super aquam refectiois educavit me*, *Psal.* XXII, vers. 1, ubi vides aridas et spinosas vias amantibus commutari in floridas et amenas.

7. AUDITE NUNC, FILII JEMINI, — id est filii Benjamin, contribules, et cognati mei, agite, certate pro me æque ac pro vobis, ne regnum a me vestraque tribu ad tribum Juda et Davidem transferatur.

10. QUI CONSULUIT PRO EO DOMINUM, — per Ephod in quo erant Urim et Tummim, de quibus dixi *Exodi* cap. XXVIII, vers. 30. Hinc patet Achimelech pro Davide petiisse et accepisse a Deo oraculum, quia via peregere, et quid agere deberet David, et quis rerum suarum futurus esset exitus prosper, an adversus ; hoc Hugo putat Doeg id fingere, et mentiri ut majorem iram Sauli contra Davidem et Achimelech concitaret : nec enim eum pro Davide consuluisse Deum.

Moraliter : Nota hic varias, continuas et acres persecutiones, errores, fugas, pericula quibus per decem annos assidue a Saulo exagitatus fuit David : id quod ob suam virtutem quo Goliath occiderat, et Israel liberarat. Nam primo, Saul Davidem pulsantem eitharam, itaque se liberantem a spiritu malo his lancea vibrata confingere voluit, cap. XVIII, vers. 11 ; cap. XIX, vers. 10 ;

secundo, eundem contra Philisteos misit, ut ab eis occideretur, ibidem vers. 17 et 23 ; tertio, submitit satellites, qui Davidem domi caperent ad necem ; sed Michol eum per fenestram dimisit, cap. XIX, vers. 11 ; quarto, David fugit ad Samuelem in Ramatha, ibidem vers. 18 ; quinto, cap. XX, abiit ad Jonathan, qui eum Sauli reconciliare conatus est, sed frustra ; sexto, fugit in Nobe ad Achimelech Pontificem, cap. XXI, vers. 2 ; septimo, ex Nobe fugit in Geth ad Achis regem, ibidem vers. 10 ; octavo, latuit in spelunca Odollam, cap. XXII, vers. 1 ; nono, inde secessit in Maspha urbem Moab, ibidem vers. 3 ; decimo, inde transit in saltum Haret, ibidem vers. 5 ; undecimo, perrexit in Ceilam, eamque a Philisteis liberavit, cap. XXIII, vers. 1 ; duodecimo, abscondit se in monte Ziph, colle Hachila, et deserto Maon, cap. XXIII, vers. 19 et 24 ; decimo tertio, delituit in deserto Engaddi, cap. XXIV, vers. 1, ubi oram chlamydis Saulis abscondit eo illaso ; decimo quarto, abdidit se in deserto Ziph, ubi scyphum et hastam Sauli dormienti abstulit, eo intacto, cap. XXVI, vers. 2 ; decimo quinto, fugit ad Achis regem Geth, cap. XXVII, vers. 2. Hi sunt omnes errores et fugæ Davidis, quas ordine suo digessi.

Davidis
patris
et.

Verum has omnes invicta sua patientia et magnanimitate toleravit et superavit David ; ideoque ex singulis fortior et gloriosior evasit ; adeoque per has omnes, quasi per totidem gradus ad apicem glorie regnumque conscendit.

Allegorice ergo David representavit Christum, qui predicans, hominesque a morbis animæ et corporis liberans, assiduas persecutiones, contradictiones, convicia, blasphemias Scribarum, Pharisæorum, Pontificum, invicta constantia, æque ac benignitate sustinuit usque ad mortem Crucis ; ideoque gloriam et regnum æternum in cælis non tantum sibi, sed et omnibus fidelibus sanctisque suis peperit et acquisivit.

Tropolo-
gie de
utilitate
persece-
tionis.

Tropologie, Christum et Davidem imitetur Christianus, ut sibi persuadeat eadem via, scilicet persecutionis et crucis sibi incedendum, si ad cultum sanctitatis, glorie et felicitatis æternæ pervenire velit. Æterna enim Dei lege sancitum est : « Omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. » II *Timoth.* cap. III, vers. 12. Sic S. Athanasius per 46 annos persecutiones assiduas ab Arianis passus, vagus et erro totum quasi orbem fugiendo obivit ; sed sua heroica virtute de omnibus victor triumphavit. Si ergo ob fidem, pietatem, virtutem, patris ; cogita te esse Davidem, et cum eo animos non demitte, sed attolle, sciens tuum Saulem, tuum persecutorem tibi fabricare coronam glorie et diademata regni æterni. Si innocentia es Abel, necesse est ut eam probet et exerceat invidus Cain. Si simplicitate es Jacob, oportet ut hirsutus Esau te stimulet. Si castitate es Joseph, oportet ut impudica heret te tentet. Si mansuetudine et generositate es Moses, con-venit ut tuus te Pharaeo exagitet, attollat, perficiat.

III.

Audi S. Joannem, *Apoc.* cap. VII, vers. 14, Martyrum sub Antichristo agones et coronas describentem : « Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni : ideo sunt ante thronum Dei, et servant ei die ac nocte in templo ejus, et qui sedet in throno, habitabit super illos, » etc.

Denique vide hic quantum malum sit invidia, que Saulem assidue torsit, et in tot cædes et sce-lera adegit, ut tandem ipse sibi mortem conscisceret. Audi S. Cyprianum Saulis et cajuslibet invidi noxas et damna recensentem serm. *De Zelo et Invere* : « Ambitionem zelus excitat, zelo cernit quis alium in honoribus aucliores, zelo excoecante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente. Dei timor spernitur, magistrum Christi negligitur, iudicii dies non providetur. Inflatur superbia, exacerbatur sævitia, perfidia prevaricatur, impatientia concutitur, furit discordia, ira ferveat, nec se jam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienus. Hinc Dominice pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hereses atque ad schismata prosilitur. » et paucis interjectis invidiam graphice depingens : « Qualis, inquit, est anima tinea, que cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutum ejus, vel felicitatem, id est, odisse in eo, vel merita propria, vel beneficia divina ; in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam penam, volution quosdam pectori suo admoveere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerant, qui cordis secreta malevolentie ungulis pulsant, non cuius talibus letus, non potus potest esse jucundus, suspiratur semper et ingemiscitur et doletur. »

15. NUM HODIE COEPI PRO EO CONSULERE DEUM ? — quasi dicat : Jam ante sæpe pro eo, tuo deum et jussu consului Dominum, cum scilicet David educturus esset tuas copias in prelium, an id futurum esset felici successu, an adverso ? non ergo jam primum pro Davide nunc tibi suspecto et exoso, uti ex verbis tuis colligo, coepi consulere Dominum, g. d. Nesciebam te iram et odium generere contra Davidem paulo ante tibi adeo amico et fidelem : quare noli ad culpam et penam mihi meeque domui imputare, quod panes et gladium tuum domui impudenter illa dedi ipsi, nisi ut iis ei dederim : non enim ipse se exsequi assererat tuum servitium (quod ipse se exsequi assererat) uteretur. Nam de tua in eum offensâ lucusque nil omnino scivi nec parvum, nec magnam.

16. DIXITQUE REX : MORTE MORIENS, ACHIMELECH TU ET OMNIS DOMUS PATRIS TUI. — Vide hic summam crudelitatem, impietatem et barbariam Saulis in insontem pontificem et sacerdotem ; imo in omnes cives Nobe, quos innoxios trucidari jussit cum omnibus parvulis, feminis et armentis, vers. 19. Hæc, inquit Theodoretus, *Quæst.* LIII, et Cedre-

28

nus, Saulis credes fuit omnibus aliis eius peccatis magis imbia. Unde et Josephus, lib. VI, cap. ult., inter Saulis mortis causas hanc etiam reponit, et copiose Auctor *Tradit*. apud S. Hieronymum, lib. II *Reg. cap. 1*.

Quare Saul fuit hic typus et præcursor Herodis, occidentis parvulos in Bethlehem propter Christum. Hic expletum fuit oraculum Dei contra Heli editum, cap. II, vers. 33. Omnes enim hi sacerdotes erant posteri vel cognati Heli.

17. ET AIT REX EMISSARIIS, — id est cursoribus, qui quasi satellites Saulis Achimelech et sacerdotes ex Nohe ad Saulem in Gabaa evocant et adduxerant.

NAM MANUS EORUM CUM DAVID EST, — *q. d.* Fovent juvantque Davidem meum hostem et regni æmulum.

NOUERUNT AUTEM SERVI, — Laudandi sunt hi servi, quod Sauli obedire, et manus suas sanguine sacerdotum fodare noluerint. Ita Theodoretus, S. Chrysostomus tamen in *Psal. cxlvi*, reprehendit eos quod positivo et efficaciter non egerint causam sacerdotum apud Saulem, ut eorum credem impedirent; sicut cap. xiv, intercesserant pro Jonatha, ejusque necem disenserant. Sed alia erat causa Jonathæ filii Saulis, alia sacerdotum, quos quasi David faventes certo mactare decreverat Saul.

18. CONVERSUSQUE DOEG (*Doeg* hebraice idem est quod *solicitus*; scilicet Saulem ad necem Davidis et sacerdotum) DOMINUS, IRRUIT IN SACERDOTES, ET TRUCIDAVIT IN DIE ILLA OCTOGINTA QUINQUE (ita Hebraea, Chaldaea, Romana, Septuaginta, Complutensis. Minus recte ergo Septuaginta Vaticani numerant 303; Theodoretus vero pejus numerat 300) VIROS VESTITOS EPHOD LINEO, — Id est Sacerdotes et Levitas; hi enim gestabant *Ephod lineum*, cum Pontifex gestaret Ephod gemmeum et polymitum.

Ece Doeg accusator et calumniator Davidis et Achimelech in scelere profecit, fuge ejus et sacerdotum sacrilegus carnifex, ut crimen quod cepit perficiat. Ita scilicet ex uno crimine in aliud, ex minori ad majus prolabitur. Porro Angelomus in lib. II, cap. XXI, tradit duos Saulis filios parvulos Armoni et Miphiboseth ex Respha concubina, cum Doego manus illis attulisse, ideoque etiam propterea a Gabaonitis crucifixos.

Quocirca Philo Biblius assertit Doeg hoc triste a Deo accepisse oraculum: «Ad Doeg Syrum hæc dicit Dominus: Ecce dies veniunt cito, et ascendet vermis igneus in linguam ejus, et tabesceat facies ejus, et erit habitatio ejus cum Cain in igne inextinguibili semper.» Verus est Davidem tunc composuisse psalmum L: «Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? tota die injuriam cogitavit lingua tua, etc. Propterea Deus destruet te in finem.» Titulus enim illius psalmi est hic: *In finem intellectus David, cum venit Doeg Idumæus, et nuntiavit Sauli: Venit David in do-*

nam Achimelech. Hinc Doeg, ait Eucherius et Angelomus, fuit typus et præcursor tum Judæ proditoris, tum Antichristi, qui sacerdos Christi maxime persequetur, eosque martyrio afficiet.

TRUCIDAVIT IN DIE ILLA OCTOGINTA QUINQUE VIROS, — Aserunt vel potius fabulantur Rabhini, et ex his Philo Biblius, hos Sacerdotes et Levitas posteros vel cognatos Heli Pontificis scelera filiorum Heli imitatos esse, ac sacrificia violasse, ideoque neci huic a Deo destinatos.

Verus est Heli ejusque filios sceleratos in hisce suis nepotibus innoxios fuisse punitos, hinc impletum esse illud oraculum Dei contra eos, capite II, 33: «Pars magna domus tue morietur, cum ad virilem ætatem venerit.» Nam hi Sacerdotes et Levite, a Saule per Doeg interfecit, videtur evasisse martyres; quia occisi sunt pro virtute misericordie et charitatis, quam exhibuerant sancto, sed misero, profugo et famelico Davidi, dando ei panes. Sicut enim qui pro castitate occiditur fit martyr; sic et qui pro charitate aliæque virtute trucidatur, martyr est. Unde S. Bachiarius, tomo I *Biblioth. SS. Patrum*, sacerdos, hoc pro innocenti Davide occisos in martyrum Catalogum refert, et Beda in *Allegoriis* non tantum sacerdotes, sed et omnes cives Nohe ob Davidem trucidatos inter martyres colloca: «Nohe civitas, inquit, propter susceptum Davidem cum suis omnibus martyrium passa est.»

19. NOBE AUTEM CIVITATEM SACERDOTUM PERCESSIT (id est percute et occidi jussit, scilicet impio Saul in odium Davidis) IN ORE (in eum) GLADI VIROS ET MULIERES, ET PARVULOS ET LACTENTES, BOVESQUE ET ASINUM ET OVEM. — Stultus ergo eam in *chevrem*, sive *anathema* quia eam plane exitio exadiditque addixit: et rabie et furore in Davidem, quo eum exagitabat spiritus malus, sive diabolus a quo possidebatur et regebatur.

20. EVADENS AUTEM UNUS FILIUS ACHIMELECH, etc. (Hic «Abiathar» patri Achimelech successit in Pontificatu, quo functus est toto tempore Davidis; sed eo privatus a Salomone, eo quod contra ipsum favisset Adoniae regnum invadenti; ideoque Salomon Pontificatum ab Abiathar, qui erat de familia et posteris Heli et Ithamar, transtulit et reduxit ad Sadoe, qui erat ex posteris Eleazar, lib. III *Reg. cap. II*.)

22. EGO SUM REUS OMNIUM ANIMARUM PATRIS TUI, — *q. d.* Ego non causa, sed occasio (ita Chaldaea, Hebraea et Septuaginta) fui mortis filiorum et cognatorum patris tui; eam scilicet animam, id est vitam singulis a Saule sit ademptam. Occasio, inquam, sed involuntaria et contra meam intentionem, ideoque sine mea culpa: nam cavi eis eorumque vite quantum potui, simulando coram eis me non profugum, sed a Saule missum: nunc licet scirem Doeg id Sauli renuntiaturum, tamen probabiliter credebam vel sperabam Saulem sacerdotibus innoxios non irasciturum, aut certe

tam crudele facinus credis sacerdotum non attenturum. Reus ergo fuit David non formaliter, sed materialiter: quia materiam et occasionem dedit Sauli occidendis, sed præter, imo contra mentem suam, necessitate famis adactus. Mortis enim eo-
rum causa propria et directa fuit improbitas Saulis.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David liberat Ceilam a Philistæis. Saul id aulens destinat eum ibidem cingere et capere. Quare David, vers. 12, consulens Dominum, audit se a Ceilais tradendum Sauli: quocirca fugit ipse in montem Ziph, ubi eum visitat et confortat Jonathas. *Mcx*, vers. 49, Ziphæi indicant Sauli Davidem apud se latere; sequitur ergo eos Saul cum copiis, cingitque Davidem; cumque jam eum capturus esset, nuntius occurrit dicens, Philistæos invasisse Judæam; unde Saul ut eis resistat, Davidem persequi desinit.

1. Et annuntiaverunt David, dicentes: Ecce Philistim oppugnant Ceilam et diripiunt areas. 2. Consulit ergo David Dominum, dicens: Num vadam, et percuciam Philistæos istos? Et ait Dominus ad David: Vade, et percuciam Philistæos, et Ceilam salvabis. 3. Et dixerunt viri, qui erant cum David, ad eum: Ecce nos hic in Judæa consistentes timemus; quanto magis si iterum in Ceilam adversum agmina Philistinorum? 4. Rursum ergo David consulit Dominum. Qui respondens, ait ei: Surge et vade in Ceilam; ego enim tradam Philistæos in manum tua. 5. Abiit ergo David, et viri ejus in Ceilam, et pugnavit adversum Philistæos, et abegit jumenta eorum, et percussit eos plaga magna; et salvavit David habitatores Ceilæ. 6. Porro eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad David in Ceilam, Ephod secum habens descenderat. 7. Nuntiatum est autem Sauli, quod venisset David in Ceilam, et ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est, introgressus urbem in qua porte et seræ sunt. 8. Et præcepit Saul omni populo, ut ad pugnam descenderet in Ceilam; et obsideret David, et viros ejus. 9. Quod cum David rescisset, quia prepararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica Ephod. 10. Et ait David: Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut overtat urbem propter me. 11. Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus, et si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus: Descendet. 12. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui sunt mecum in Ceila, et salvatus esset; quam ob rem dissimulavit exire. 14. Morabatur autem David in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco; querebat eum tamen Saul cunctis diebus: et non tradidit eum Deus in manus ejus. 15. Et vidit David quod egressus esset Saul, ut quereret animam ejus. Porro David erat in deserto Ziph in silva. 16. Et surrexit Jonathas filius Saul, et abiit ad David in silvam, et confortavit manus ejus in Deo; dixitque ei: 17. Ne timeas, neque enim inveniet te manus Saul patris mei, et tu regnabis super Israel, et ego erotibi secundus, sed et Saul pater meus scit hoc. 18. Percussit ergo uterque fœdus coram Domino, mansitque David in silva; Jonathas autem reversus est in domum suam. 19. Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne ecce David latitabat apud nos in locis tuisissimis silvæ, in colle Hachila, que est ad dexteram deserti? 20. Nunc ergo, sicut desideravit anima tua ut descenderes, descende; nostrum autem erit ut tradamus eum in manus regis. 21. Dixitque Saul: Benedicti vos a Domino, quia doluistis vicem meam. 22. Abite ergo, oro, et diligentius preparate, et curiosius agite, et considerate locum ubi sit pes ejus, vel quis viderit eum ibi; recogitat enim de me quod callide insidiet ei. 23. Considerate et videte omnia latibula

ejus, in quibus absconditur; et revertimini ad me ad rem certam, ut vadam vobiscum: quod si etiam in terram se abstruserit, persecrator enim in cunctis millibus Juda. 24. At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul; David autem et viri ejus erant in deserto Maon, in campistris, ad dexteram Jesimon. 25. Ivit ergo Saul et socii ejus ad querendum eum, et nuntiavit est David, statimque descendit ad petram, et versabatur in deserto Maon: quod cum audisset Saul, persecutus est David in deserto Maon. 26. Et ibat Saul ad latus montis ex parte una; David autem et viri ejus erant in latere montis ex parte altera: porro David desperabat se posse evadere a facie Saul; itaque Saul et viri ejus in modum coronae cingebant David et viros ejus, ut caperent eos. 27. Et nuntius venit ad Saul, dicens: Festina, et veni, quoniam infuderunt se Philistinim super terram. 28. Reversus est ergo Saul desistens persequi David, et perrexit in occursum Philistinorum; propter hoc vocaverunt locum illum Petram dividentem.

4. PHILISTIM OPPUGNANT CEILAM. — Ceilam, ait S. Hieronymus, Eusebius et Adrichomius in *Locis Hebr.*, civitas est in tribu Juda, quondam sedes David; et nunc villula Ceila ad Orientalem plagam Eleutheropolis pergentibus Hebron, quasi octavo milliario: in qua sepulchrum Habacuc prophete demonstratur.

ET DIRIPIUNT AREAS. — Vatablus, *horrea*, id est diripiunt messem et frumenta in areis et horreis reposita.

2. CONSULUIT ERGO DAVID DOMINUM. — per Abiathar Pontificem ad se profugum, ut patet vers. 6.

5. ET SALVAVIT DAVID HABITATORES CEILE, — quasi contribules et cives suos; erant enim utriusque ex tribu Juda. Meruit ergo hic David coronam civicam liberando cives suos a Philisteis, ideoque paulo post mortuo Saule David a tribu Juda erectus est ad regnum, II Reg. II.

6. EPHOD SECUM HABENS. — *g. d.* Abiathar fugiens Sulem venit ad Davidem portans vestem Pontificum, in qua erat Ephod cum Urim et Tummim, ut patet Achimelech jam occiso a Saule, ejus loco in Pontificatum succederet, ac Deum pro Davide per Ephod consulere.

9. DIXIT (DAVID) AD ABIATHAR SACERDOTEM: APPLICA EPHOD, — id est applica et indue te Ephod, ut per ejus Urim et Tummim consulas Dominum quid in tanto periculo et tam arcta Saulis persecutione mihi factu sit opus. Hinc Abiathar hebraice idem est quod *pater explorationis vel contemplationis*, quia ipse orando consulit Dominum, ejusque voluntatem et consilium exploravit pro Davidis salute. Vide hic pietatem Davidis erga Deum, utpole qui in areis confugit ad Deum: item erga cives suos Ceilanos, utpole eos liberans a Philisteis; adhuc erga Saulem, utpole fugiens ejus forem quasi subditus, nec ei resistens, sed ei parcas, cum eum haberet in manibus, cap. XXIV, 5. Quocirca recte Davidi in virtutibus omnibus consummatio hoc tribus elogium, quod nuper Stephano Battoreo insigni Poloniae regni assignavit Bonifacius Vannotius in *Miscellaneis epist.*

« In templo fuit plus quam Sacerdos.
In republica, plus quam Rex.

In sententia dicenda, plus quam Senator.

In judicio, plus quam Jurisconsultus.

In exercitu, plus quam Imperator.

In acie, plus quam miles.

In adversis perferendis injuriisque condonandis, plus quam vir.

In publica libertate tuenda, plus quam civis.

In amicitia colenda, plus quam amicus.

In convictu, plus quam familiaris.

In venatione ferisque domandis, plus quam leo.

In tota reliqua vita, plus quam Philosophus.

12. SI TRADENT ME VIRI CEILE, etc., IN MANUS SAUL, ET DIXIT DOMINUS: TRADENT, — certo et infallibiliter. Talis enim est Dei scientia et praesentia, cum hominum sit incerta et fallibilis; ideoque reipsa saepe fallat. Hinc colligunt Suarez, Vasquez, Molina, et alii insignes Theologi Deum cognoscere futura contingentia non tantum absoluta, sed etiam conditionata, v. g. quid ego facturus essem, si forem Jerosolymis, Alexandria, Antiochie, etc., positus talibus et talibus circumstantiis et conditionibus, etiamsi ille nusquam ponendus sint reipsa. Sic enim hic praesecit et praedixit Deus quod Ceilani tradituri essent Davidem, licet contribulem et liberatorem suum, Sauli, ex metu ne ab eo occiderentur, uti occisi fuerant cives Nobe: etsi de facto eum non tradiderint, quia David audiens a Deo se ab eis tradendum, traditionem praeventit et auferit. Vide dicta *Jerem.* cap. XXXVIII, vers. 17, et *Matth.* XI, 12.

13. PORRO DAVID ERAT IN DESERTO ZIPH IN SILVA. — « Ziph » erat civitas in tribu Juda, sita in monte nemoroso et opaco, dumis et arboribus infructuosus consito; juxta urbem erat ergo « desertum Ziph » nemorosum, saluosum, feris et ibicibus pervium, antris et speluncis plenum, et plurimum cavernosum, in quibus David vagabundus et fugitivus a facie Saul latitavit, seseque abscondit. Ita Brocardus, Brodenbachius et Adrichomius.

16. ET SURREXIT JONATHAS FILIUS SAUL, ET ABIT AD DAVID IN SILVAM, ET CONFORTAVIT MANUS EJUS IN DEO. — Chaldaeus, in dicto Domini, quia scilicet

Deus dixerat et praedixerat Davidem successorum Sauli in regno, eum eum per Samuelem unxit in regem, *g. d.* Jonathas jussit Davidem esse bono fortique animo. eo quod Deum haberet tutorem, contra quem Saul nihil poterat. « Manus » ergo hic significant robur et fortitudinem tum animi, tum corporis; haec enim manibus exerit et ostendit.

19. ASCENDERUNT AUTEM ZIPHEI AD SAUL, — nuntiantes ei Davidem apud se latere, et sequi illum in manus ejus tradituros. Vide hic ut omnes Judaei persequantur Davidem, aequae ac persecuti sunt Christum ejus antitypum. Unde tunc David, ad Deum unicum desolatorum asylum confugiens, composuit psalmum LIII: « Deus, in nomine tuo salvum me fac, etc. Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quiesierunt animam meam. » Id ita esse patet ex titulo psalmi, qui sic habet: *In carminibus intellectus David, cum venissent Zipheii, et dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos?*

23. REVERTIMINI AD ME AD REM CERTAM, — re certo comperita, quam mihi nuntiare possitis, ubi scilicet lateat David, et quomodo a me capi possit; ne incertus vager, et copias frustra edueam magno sumptuum impendio, et fame meae dispendio (1).

25. SAUL PERSECUTUS EST DAVID IN DESERTO MAON, — « Maon, » ut ait S. Hieronymus in *Locis Hebr.*, et ex eo Adrichomius, erat civitas in tribu Juda, sita in campistris ad dexteram Jesimon, contra colle ortum Daromae: juxta urbem, desertum erat nemorosum et cavernis plenum, in quo delituit David: confine est deserto Carmeli, et deserto Pharan. Quare minus recte nonnulli putant Maon fuisse in Arabia, et Davidem relicta Judea ab Saulis metu fugisse ad Arabes, idque significare, *Psalm.* CXIX, 3, cum ait: « Heu mihi! quia

(1) In hoc versu 23 legitur in cunctis millibus Juda pro in cunctis domibus familiaritiae, quia tribus Juda sic dividebantur facientes in totum mille viros, cujus unus ex eis *dux militum* vocabatur.

incoltas meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, » id est cum Cedrenis sive Agaritis, hoc est Arabibus.

26. DAVID DESPERABAT SE POSSE EVADERE A FACIE SAUL, — sua virtute et sapientia, sperabat tandem se Dei opem evasurum. Sciebat enim se a Deo unctum in regem, ut Saul in regno succederet.

27. ET NUNTIVS VENIT AD SAUL DICENS: FESTINA ET VENI, QUONIAM INFUDERUNT SE PHILISTINI SUPER TERRAM. — Vide hic quid opportune Deus in actis, suis fidelibus opuletur et periculis liberet, quod vulgo dicitur: « Deus ex machina. » Unde Philo missus a Judeis ad Caium Imperatorem ne Judaeos cogeret se adorare ut deum, cum a Caio sperneretur, conversus ad suos dixit: « Confidite, socii; nam tunc vicinum est Dei auxilium, cum deest humanum, » itaque factum; nam paulo post Caius interit, ita refert ipse in *Legat. ad Caicum*. Ecce tibi hic David undique cinctus a Saule, et janjam ab eo capiendus, a Deo liberator miro modo, nimirum immittendo Sauli nuntium et cogitationem de Philistinis arendis, itaque eum a Davide divertendo, et ad Philistinios persequendos convertendo. Fecit ergo Deus, perinde ac faciunt Hispani in agitatione tauri: dum enim taurus aliquem furibundum insequitur ut eum luet, illicio a tergo alius taurum stimulo pungit, cogitque taurum retrorsum converti. Ita fecit hic Deus Sauli, qui quasi taurus forebat in Davidem. Audi S. Chrysostomum, hom. 46 in *Genes.*: « Maxima securitas et inexpugnabilis murus est gratia Dei. Videamus quomodo David de loco in locum transiens, et quasi erraticus vagans, manu superna munitus fuerit; Saul autem cum esset in mediis civitatibus, et tantum secum duceret exercitum; et satellites habens et armigeros, quotidie timebat et tremebat inimicorum insidias, I Regum cap. XVIII, vers. 12 et 29. Et ille quidem, qui solus erat, non indigebat humano presidio; hic vero coronatus purpura indutus, illius auxilio indigebat; et regi opus erat pastoris opera; et diademate redimito, privati adjumentum. »

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David fugit in desertum Engaddi: insequitur eum Saul; cumque in spelunca purgaret ventrem, David in ea latens oram chlamydis ejus abscondit. Mox, vers. 9, eum Sauli ostentans, cum illo expositat quod se innoxium injuste persequatur: si enim ei nocere voluisset, in spelunca eum occidisset. Quare, vers. 17, Saul compunctus et fletus: Justior, inquit, tu es, quam ego; asseritque ipsum post se regnaturum: quod ab eo juramentum exigat, quod non delebit suam stirpem, itaque eum Uzerum dimittit.

1. Ascendit ergo David inde, et habitavit in locis tutissimis Engaddi. 2. Cumque reversus esset Saul, postquam persecutus est Philisteos, nuntiaverunt ei, dicentes: Ecce David in deserto est Engaddi. 3. Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel,